



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

in piscina Rodericium; denique Bobadillam ad S. Celsi in argentariis. Magnam primùm exciuit ad audiendum frequentiam, nouitas, & Sacerdotum ex pulpito in sacra castula agendi usus inuetus; post efficacitas, quam eorum verbis, diuinus indebat spiritus, vitæ sanctioris exemplo incitata, audientium numero, fructum breui adiunxit Romæ in aliam mutatæ. Nam restitutus est postliminio tandem Sacramentorum frequens usus, vigetque nunc etiam ac floret, in omnem porrectus Christianitatem; puellis periclitantibus, orphanis; ex Iudaismo conuersis, & meretricio, liberali consultum charitate, quam Ignatius postea perpetuam fecit. Reliquis præterea urbis templis pulchra laudis eiusdem amulatio gliscere; eadem quam nostri opera præstari initiandis doctrina fidei pueris, & more stabili docenda festis quibusque diebus populi concione. Tametsi verò Lainius, Salmeron, & Bobadilla cum admiratione audirentur, vt qui præter dotes perfecti oratoris, diuinæ gloriæ studio flagrarent; sed Ignatio par nemo vehementia pietatis, efficacia sensuum, & rationum grauitate; illo itaque audito aiebant cordati homines, Dei verbum in ore Ignatii natiuum pondus obtinere, cumque id alij vestirent, ab eo exutum adscititio ornatum, grandius, & præstantius videri; suo enim quodam excellenti modo, rationes ad persuadendum, instar ferri ad pugnam, nudatas stringere, illasque magis vt per se reipsæ sunt, quam vt esse dicebat intorquere. Ea demum in omnes focios redibat voluptas, ex prouentu laborum vberimo, vt illos in noctem sæpius, non ieiuni modo protenderent, verum tunc etiam cogerentur ad ieiunium soluendum cibum precario quærere, quæ sola iis erat ad victum annona.

XLII.

Sic ergo fluebant Societatis negotia, cum adspirantes inter fauonios à violento correpta turbine, peribant funditus, nisi misericors Dei manus, illis opem tulisset. Tempestatis auctor frater quidam Augustinus, ortu Pedemontanus, Augustinianum heremitam professus, fide ad speciem orthodoxus, clam exquisitissimè Lutheranus. Hic Papæ aulaeque absentia bellè usus ad profeminandam Romæ hæresion pestem, periculum sui & dare, & facere concionando aggressus est, in quo dictionem à natura sortitus euolutam, & sponte fluentem, mira dulcedine pellectum tenebat auditorem. Haud tamen se statim vel palam protulit, sed famam sibi, iam nactus aliquam, & populi gratiam, tunc veris, & ab Ecclesia probatis, Lutheri interiicere placita, obiter tamen, furimque obiecta; moxque fucio obducta probabili, ne cui facilè paterent. Contigit verò Deo ita volente, vt audiretur à quibusdam Ignatii focis, qui tum ex recentibus studiis calentes, tum ex assidua cum hæreticis concertatione, vulgaratum hæresion notissimos habebant characteres, statimque ab iis deprehensum, eo in homine Lutherum loqui, sed lingua truncum, vt qui nimis quidem intelligi cuperet, sed non auderet disertè se prodere; cumque iterum ac sæpius interfuisent concioni, numquam non aut sibi similem, aut seipso peiorem inuenerunt. Occurrebat vna illius defensio, si fortè insonti deceptus ignoratione,

ignoratione, populum quoque vel nolens deciperet. Quare illum officiosissime adire, bonam eius mentem, & candidam laudare; quæ tamen ipsi veluti excidissent seorsum coram singula censere, probareque hæc ipsa mera esse, ac puta Lutheri dogmata, vt ipse ab iis & pedem referret, & inductum in ea populum quoad ius & fas dedoceret. Mirum est hominem dum se vidit manifestè ad eò teneri, haud tamen fuissè suo tam grandi periculo conturbatum: sed enim & aura populi, & beneuolentia procerum, apud quos valebat plurimum, frontem sacrilego aduersus monita fecerunt: monentium itaque malignitatem inculcare, & obiurgare ignorantiam, qui se illi magistros obtruderent quem indigni essent magistrum habere. Si erant indocti, discerent; si neque id possent, tacendo sibi consulerent, nec nomen captarent singularis doctrinæ, improbando quæ probaret Roma, & communi consensu adplausuque audiret. Quod si sua luce iis officiebat, dolebantque iis oculi, dum esse hunc cernerent, quod ipsi non erant; tentarent & ipsi aliquid, niterenturque eadem præfate, nec crescere ambirent deiectione alterius, notandis quæ docebat sanis, & integræ fidei, censura hæreseos periniqua. Cæterum vt intelligerent quanti eos, & monita illorum quam nihili faceret, suæ quamprimum adessent concioni, effecturum se vt hæc eadem & ipsi magna sibi voce occentari audirent, ex quibus se hæreticum probare, quales forte ij erant, voluissent; quæ si ab aliis sexcentis haud paulò melioribus quam essent, cum laude excipi, vel inuitè viderent; erubescerent tandem, aut impugnare saltem desinerent. Hæc ille, quæ nimis abundè postea impleuit. Patres ergo priuata admonitione, tam infelicem sortita exitum, incumbere sibi pro officio statuerunt, vt modis omnibus publico exitio cauerent, cæperuntque suis quisque de pulpitis, interserere doctrinæ de moribus, controuersa quædam de indulgentiis, de auctoritate Pontificis, de excellentia cælibatûs, de bonis operibus ad fidem necessariò adiungendis, in quibus articularis præuaricabatur Lutheranus. Ictus est inuicta audendi constantia homo nequam, desperatòque effugio publicæ disputationis, qua compelleretur ea liquidò explicare, quæ nisi ambigè fraudulenterque proposita admitti non poterant, artem commentus est sceleratam, asserendi sibi Catholici laudem, aduersariis in suspensionem hæreseos coniectis. Magna igitur pompa fidelitatis eximie, exaggerare primum auitam fidem, eiusque tuendæ obligationem; tum ad Ignatium paulatim delabi; monere cauendum vnicuique ab simulato in pastorem, nedum in ouem lupo, qui diu latens, per celeberrimas Europæ Academiis oberrasset, magnis editis stragibus animarum, quibus & confidentior & robustior euadens; Romam demum cum aliquot concoloris pili bestiis aduenisset, vt supremos in ea conatus depromeret: meminissent hanc esse magistrorum hæreticorum artem, suam aliis lepram, doctrinæ prioris simulatione affingere, vt ab lue putentur immunes, cuius alios implacabiliter condemnant. Scirent etiam, nullas Ecclesiæ infestiores

fuisse sectas, quam quæ sanctimoniam præferrent; attritas vestes, & asperas, seuera ieiunia, modestum sermonem, suique contemptorem; victum ultra parsimoniam austerum; mentis speciem à priuatis suis rationibus, & commodis alienam; & ab culpæ cuiusuis nubecula abhorrentem. Ne vellet Roma, esse minus prouida, quam (serius licet) fuerat Complutum, fuerat Salmantica, Lutetia, & recens Venetiæ, in quibus Ignatius apertissimæ damnatus hæreseos, quæ palinodia, quæ fuga se rogo subduxerat, cui suis cum aliquot scriptis fuerat addictus; esse autem Romæ integerrimæ fidei homines eiusdem cum illo nationis, imo vnum eius inescatum dolis & olim Sectatorem, post verò agniti horrore periculi desertorem; & hos sibi pro testimonio dicturos. Porro testes istos tam sanctos, intelligi volebat Hispanos tres, Petrum quendam de Castella, Franciscum Mudaram, & Barreram nescio quem quos sua probè tinctos fuligine, virorum principum in aulas sparserat (ad quas illis dabatur aditus quod essent alicuius notæ) vt quæ ipse dixisset, serio, sanctæque confirmarent, porro quem aiebat Ignatij desertor, fuit ille Michaël Nauarrus quem postquam sæculo valedixisset Xauerius, interficere Ignatium voluisse initio diximus, quod se subsidio priuatum videret, quo ab Xauerio alebatur; paulò post bono malove instinctu, Xauerij forsitan retrahendi, dederat se Ignatio socium; sed vitæ illi magnarum mentium nimis impar (cum esset tota ex carne concreta, & vilis anima) ne experiri quidem illam sustinuit, verum ea inspecta, pedem retro mox tulit: postea verò, incertum quo fine, Venetiis iterum, ignauæ illius pœnitentiæ pœnitens Societatem Ignatij prensauit, sed ob leuitatem hominis vitream atque infidelem, repulsam passus, eaque offensus, ex discipulo, & affectatore, quod esse ambiuerat; vt primum res tulit calumniator, & hostis effectus est. Romam Ignatium præuertens, & per tres alios quos dixi, cum iis prædicanti hæretico fœderatus, illius egit interpretem, vulgandis atque adstruendis suo & experti & oculati testimonio quæcumque is euomuerat; eoque homo venalis animæ processit, vt calumniam pecuniâ venditam, ad tribunal deferret Benedicti Conuersini tunc Gubernatoris, sic enim apud se Pseudo-Monachus ratiocinabatur, nostros domi suæ validè occupatos, aliorum curam facillè omissoiros. Hac tam atroci grassante calumnia dici non potest, quam pœne momento, Ignatij, sociorumque res, vrbe tota scenam mutauerint: auditi prius obseruatique velut homines Dei, nunc vbicumque occurrerent, despici, disternis appeti, notari digito pro sycophantis, & hæreticis, hominum vero sermonibus, clam & in circulis haud aliter iactari quam vt flagitiorum immanium, & contaminatæ doctrinæ comperti. Omnis iam eorum & vitæ ratio, & occupatio ob quam cunctis ante fuerant venerationi, laraata vafrities cantabatur, & personata improbitas, nec erat qui sibi cum iis aliquid fuisse indicaret; tantum aberat vt verbum pro illorum causa mutire auderet, cum enim in dies crederentur ex probroso damnationis Theatro ad rogam trahendi, nemo sibi tantum confidebat, vt videri posset illos nosse, vel quicquam

quam negotij cum iis habuisse: tantumque valuit hic timor apud Sacerdotes duos, vt relicta Roma, & quæ Romæ habebant omnibus, extraditionem Ecclesiæ sese proriperent; & quo nescitur, se abderent; etsi enim iussu Cardinalis-Vicarij fuissent in audiendis populi confessionibus Ignatij, & sociorum adiutores, sed vbi putarunt omnia in præceptis ruere, veriti sunt ne eadem, & ipsi ruinâ premerentur. Iam ex decantata de iis fama volabant quaquaversum Epistolæ, scribebant aliqui reducta simulatione, hæresis conuictos; nonnulli etiam enormium scelerum; quidam ad iudicatos igni, alij iam crematos: Dormire interea videbatur in nauicula Christus, dum supremam tempestas in rabiem surgeret, excitatusque ventis ac mari minaretur, fieretque vt ait Origenes *de magna tempestate, magna tranquillitas*. Triumphabant verò Ignatij hostes, vulgo spectabiles, & multa tumidi gratulatione, quod eam detexissent luem, quæ hoc nocere solum potest quo potest latere. Verumenimverò cuius præcipuè caput periebant hi turbines, nunquam illos sibi metuendos putauit, sed pro gymnasijs habuit illius fiduciæ, cuius opus est palmare, tanto confidentius de diuino auxilio sperare, quanto videntur magis omnia extra spem afflictâ, & perdita. Quare animos addebat socijs si quem vidisset ijs turbis attonitum, & assiduis lacrymis repræsentabat Christo, quod sibi Romam aduentanti dignatus fuerat polliceri, cuius quidem promissi, expuncta parte iam altera quæ sibi tacitè cruce[m] sponderat; dignaretur se altera quoque parte, qua propitiâ opem, perspicuè aded clarèque promiserat. Audiuit preces, & lacrymas Deus, ac ne dubium foret quo sedante tempestas posuisset, inde primus quietis affulsit radius, vnde minimum sperabatur. Ignatium amici non omnes adeo fugerant vt ne vnus quidem in fide peristeret. Is fuit Quirinus Garzonius, qui Romam appulsum domo exceperat, & familiari cum eo assuetudine sic introspexerat, vt ad euertendam quam de illo formarat sententiam, frustra Romæ totius sermones, & iudicia pugnarent: aliudè verò tam erat sinceri, & candidi pectoris, vt vili animi duceret, amici salutem, aduersantium gratiæ donare. Hunc ergo & sibi affinem & valde carum Ioannes Dominicus de Cupis sacri Collegij Decanus, & vir grauissimus acerbè increpuit, quod se Ignatio addictum non dissimularet; addiditque, ad illum ab eo affectu extricandum, non agi modo de scæda macula eius nomini inurenda, sed de ingenti quoque perniciæ in eius animum reditura ex vsu hominis qui totus esset ex flagitiorum colluue concretus, & de quo incertum qua fide viueret, nisi quod procliuis erat coniectura illum pessimè credere, qui tam nefariè viueret. Pergebat narrare quæ illo audierat sane atrocia, verum Compluti, Salmanticiæ, Parisijs, Venetijs, procul videlicet, ab eo perpetrata, pro tribunali bus cognita, exilijs, & igni damnata; cumque intulisset Quirinus se satis non capere cur linguis paucorum longinqua iactantibus deberet plus fidei quam proprijs oculis rerum præsentium testibus; misereri se illius, vultu significans, & hoc, inquit, inter alia hominis facinora animaduersum est

quos libuerit ab ipso incantari, & cerebro minui, ita sibi aliquot adiunxit socios, ita quantum intelligo, te quoque sibi adstrinxerit. Huius colloquij feriem ipsimet Ignatio cum distinctè exposuisset Quirinus; nihilo inde commotior, Cardinalis studium ac fidelitatem laudauit Ignatius, quod amicum vellet à suspecto sibi, & quem improbum censeret homine quam longissime abesse; ne suam scabiem illi affricaret, tibi de cætero illud persuade futurum contra omnes mortales in mea causa Deum, cuius victoriæ ipse & suo tempore spectator futurus es, Cardinalem verò, quem norat sapientia præstantem, si vel semel daretur alloqui, dixit non dubitare se quin esset ab eo errore abducturus, nam sua denique veritatem semper luce splendere; tenebris suis horrere mendacium, huic dissipando aperteque purgando, sat esse veri præsentiam. Suscepit Quirinus curaturum se illi aditum apud Cardinalem, paulòque post non ægrè impetrauit spondens scilicet fore, si eo audito reum iudicasset, se quoque pro reo habiturum, nec deinceps cum eo sibi quicquam futurum negotij: At hic optimus Cardinalis dum admissurum se hominem annuit, nesciens vaticinatus est; adduc sis illum, & veniat; audiam non grauati, atque vt commeritus est habebò, & habuit verè, sed planè alio quàm intelligi volebat sensu. Venit Ignatius, in secretum conclaue accersitur, auditur. Quid autem, quo modo dixerit aliunde haud sciri quàm ex iis quæ consecuta sunt, potuit: primum enim ex mente Cardinalis, perperam impressa opinionum atrocium simulacra deterfit penitus; eo illum deinde adduxit, vt iis doleret se præoccupatum incautius, nec dubitaret earum veniam flexis genibus ab Ignatio poscere. Quod ex ore ipsius Cardinalis, Quirinus postea retulit, tunc verò congressus euentum operiebatur qui duarum ferme horarum fuit, cum ecce tibi prodit Cardinalis honorificè deducens Ignatium, & singulari beneuolentia, audientibus clarè qui aderant, suam illi tum in causa præsentij, tum in alia quauis tutelam deferens. Exinde iussit vt quot hebdomadis panis & vini eleemosyna ad eum eiusque socios perferretur, quæ nunquam intermissa est quamdiu fuit in viujs Cardinalis. Hoc euentu tam fausto edoctus Ignatius defensionem sui à Deo susceptam, animos sumpsit ad vrgendum quod illi tunc sua dictabat prudentia; causæ videlicet tam grauis perfectam, & liquidam absolutionem, in Gubernatoris foro apud quem Michaël, suas Ignatij deposuerat criminationes. Ergo dicto die sistit se cum accusatore Ignatius. Hic effrons, & confidenter accusator, se testem fuisse spectasseque Compluti, Parisijs, & Venetijs, cum Ignatius apertissimæ hæreseos, & flagitiorum immanium damnaretur. Eum decretam iudicio pœnam fugâ deuitasse; inde contumaciæ haberi reum & hæc certa esse, & vidente se gesta sanctissimè iurabat. Contra Ignatius frigide ac sereno vultu, Epistolâ profert, aduersario ob oculos ponit, querit, ecquid eam manû, ecquid recolat characterem? Ille nihil præterea cunctatus manum absque vlla hæsitacione agnoscit suam vt re ipsa erat. Benè est, subdit Ignatius, Te quidem haudquaquam hætenus de me tuo ore loquentem audiui, sed cuius agebas interpretem

intepretem quique linguæ tuæ edenda credidit, quæ tute pro tuis venditasti: nunc volo te ipse audias, at qualis tunc eras, sincerum, & castum, nulla tuarum rationum cupiditate actum, sed de explorata mei notitia, & beneuola de me animi tui sententia locutum, sub quæ illi Epistolam perlegit, ab eo ad amicum datam priusquam Ignatio hi venti resflarent, ipsèque illum odisse inciperet. Scribebat autem de virtute & innocentia viri sancti, cuius vbicumque cum illo fuisset, spectator, & testis fuerat, & iis laudibus eam efferebat, quibus non potuisset Ignatius ampliores suggerere, si eas in rem suam dictasset literas. Impalluit scilicet periurus nebulo, videns se manifestò teneri secumque apertè pugnare, & qui confidentia petulanti tan-
topere antea perstrepat obmutuit, anceps verum fateri, an eiurare Epistolam; effugij aliquid comminisci, aut nouam deberet calumniam struere, in pauca igitur, & inuita verba responsionem adeò confudit, vt nihil aut pro se, aut contra Ignatium coherentè dixisse visus sit. Sic primus ille congressus solutus est, verum nec vna neque potissima Ignatij defensio hæc fuit. Accersuerat inde diuina bonitas patrocinia innocentis, vnde Romam calumniæ venerant, Venetiis, Compluto, Parisiis; & miraculo par adfuisse tunc Romæ tres illos Iudices à quibus Ignatius pronuntiatus fuerat, innocens iis tribus in vrbibus, in quibus perfidus accusator damnatum fuisse iurauerat. Nam Venetiis Gaspard de Doctis pro Nuntio Auditor; Compluto Vicarius Ioannes Figueroa venerant: Parisiis Orius sancti Officij Quæstor, suis quisque Romam priuatis rationibus aduectus, quas ad Ignatij gloriam conferens clementissimus Deus, testes illi virtutis vnà tres protulit qui fuerant illius iudices vt apud orbis vniuersi primarium tribunal, innocentiam illius fide publica indubitatæque contestatam posteritati transmitterent. Quo facto pariter videbatur postremus fabulæ claudi actus, in qua tristi & lata diu egregiè partes suas calumnia, & æquitas egerant. Restabat ad vltimum vt ab omni nauo vindicaretur etiam Sociorum fama, etsi enim purgata in laudato absolutoque Ignatio videri poterat, cuius solum causa & communione scædata fuerat, verum ad Ignatij bonum nomen intererat plurimum, vt Sociorum quoque probitas, & virtus testimoniis illustribus constaret. Quod item Deo prolixè fauente contigit. Vt enim percerebuit de confictis in illos criminibus, adfuere confestim Ferraria, Patauio, Bononia, à Vicariis, & Episcopis literæ, cum amplissima innocentia illorum testificatione, & luculento virtutis præconio: præter quæ Hercules Ferrariæ Dux suo Romæ Oratori mandauit, vbicumque res ferret, pro Iaio, & Rodericio autoritatem interponeret suam, eorumque virtutem sua etiam fide tueretur.

Iam ergo sedatis tot fluctibus, solæ videbantur Ignatio gratiæ superesse quas Deo ageret, & pacis tranquillum quo tandem frueretur, nam & obtinebat adiudicatam sibi causam, & damnatus calumniæ Michaël Nauartus, in exilium eiectus, & inuentores illius tres dicta sibi ab Ignatio die

XLIII.

Sententia pro Ignatio fertur, eius calumniatores puniuntur.

vt